

lib. 2. cap. 19. num. 10. & de jur. spirit. lib. 3. cap. 15. num. 17. & Thomas Sanchez de Matrimon. lib. 7. disp. 14. num. 1. Sed ex quolibet simplici accessu viri cum seminis ejaculatione quo integritas corrumpitur, ita ut amplius virgo dici non possit. Quia integro hymene permanente, vel coherencia partium non vulnerata, potest virginitas corrumpi, & puella concipere, ut pluribus probant Pineus dict. cap. 5. & 6. atque Zacchias d. lib. 4. tit. 2. quest. 1. ex n. 28. Vel quia hymen seu unio dura admodum, resistit congressui, & illaesa permanet; vel quia penis debilitate penetrari non possit, licet semen ejaculatum per orificium attrahat, ut Medici pessimum pluribus rationibus, atque experimentis demonstrant, & quotidie in forensibus controversiis apparet, nam qui potens quoad unam fuit, quoad aliam impotens videtur: Text. in cap. 2. 33. quest. 2. c. fraternitatis de frigid. & maleficiat. ubi Doctores plura colligens Sanchez, d. lib. 7. disput. 93. ex n. 10. Martin. Perez, de matrimon. disp. 37. sect. 5. n. 1. & August. Barbosa, in dict. cap. fraternitatis. Si enim hymen, vel partium coherencia disrumpi à congressore non possit, & intra uteri collum semen ejaculetur, & uterus attrahat per orificium, potest puella concipere, etiam si non penetraretur. Similiter si vir penem habeat admodum brevem, ita ut labra, vel nymphas non transgrediatur, vel sic tenuem, ut orificium dilatare non possit. Vel si virgo cognoscatur quando menstruus sanguis fluit cujus humiditate partes laxantur, & viri congressum admittunt absque aliqua dilaceratione, ut doctè probat Zacchias, d. qu. 1. ex n. 29. Et per contrarium claustra pudoris disrupta esse possunt, & puella virgo permanere, quod evenit quoties non virili accessu, sed alio modo claustrum pudoris disrumpitur, virgo namque remanet non secus ac si pedem, manum, brachium, vel crus dirupisset, ut docent. S. Augustin. lib. 1. de Civit. Dei, cap. 18. D. Thom. 2. 2. q. 152. art. 1. ex Jurisperitis Mascardus, conclusion. 1412. n. 7. & ex Medicis Zacchias, d. qu. 1. n. 4. ex his scitillimè Pinæus dict. lib. 1. de not. vir. cap. 6. dum narrat duas historias ad comprobationem integritatis partium remanentis post congressum viri, menstruus profluentibus: in secunda dicit, quod mercator qui

puellam honestissimam duxerat, & in primo congressu habito menstruus profluentibus, partes laxatas humiditate sanguinis reperit, de virginitate uxoris dubius, procul recessit ea gravida relicta, & post viginti dies reversus ad amplexus sic arctas partes invenit ut opus veneris perficere non posset: & addit hæc verba: *virgo corruptam & corrupta virginem referebat.* Et ipse Zacchias d. lib. 5. tit. 1. quest. 3. n. 12. asserit aliquando evenire, quod notæ virginitatis remaneant in hymene, aut in totum, aut in parte usque ad primum partum. Ex quo resultat, quod signum evidens virginitatis reperiri non possit, ut doctè notat Cujacius, lib. 17. observat. cap. 27. in fin. quem plures ex nostris sequuntur: unde proverbialiter dici solet: *quod sepe fallit manus, vel oculus obstetricis,* desumendo verba Cypriani, in cap. nec aliqua 427. q. 1.

Quibus positis, clarè jam sequitur quod reus de quo agimus dum amplexus hujus puellæ repetebat, vi erectionis, pene remanentis parte aliqua producta, opus veneris perficere potuit; ac semen ejaculare in orificio vulvæ, licet eam non penetrasset: & ipsa vi attractionis concipere, prout cum effectu concepit. Ac per consequens puella virginalem integritatem corrupisset: in quo essentia stupri consistit, ut ex dictis abundè resultat. Ex quibus puellam ducere vel dotare tenebatur, juxta Text. in cap. 2. de adulter. cum aliis per me notatis supra contr. 51. ex n. 4. & infantulum alere tanquam filium, ex Text. in cap. cum haberet, vers. sollicitudinis tamen, de eo qui dux. in matrimon. cum pluribus adductis per Thesaur. decis. 3. n. 7. & in terminis Berlich. practicabil. conclus. part. 5. concl. 38. num. 4. Carpzov. in pract. crim. part. 2. qu. 68. n. 123. cum duob. seqq. & Barbof. in collect. dict. Text. num. 4. qui plures ex nostratibus refert. Quod enim reus hæc patrasset, probabatur ex cohabitatione diurna solius cum sola, ex relatione stuprum passæ, ex tolerantia totius temporis imprægnationis, ex præstatione necessariorum tempore puerperii, & ex honesta vita puellæ, quæ omnia conducunt, ut notavi, contr. præ. num. 6. cum seqq.

Verùm his non obstantibus absolvendum fore aula decrevit: quia omnia argumenta pro puella adducta possibilitatem

tem generandi in eo cui penis abscessa fuit adstruebant, sed non quod actu generasset, vel aliquam commixtionem, cum illa habuisset; quod necessarium erat, ut de stupro teneretur, ut pluribus probant Jul. Clar. in §. Suprum, num. 2. Mascard. de probat. conclus. 1337. num. 1. cum segg. Baïar. ad Clar. d. §. Suprum, num. 5. Farin. quest. 136. num. 1. & q. 157. ex num. 130. Anton. Matth. de crim. lib. 48. ff. tit. 17. cap. 6. num. 1. Berlich. dict. conclus. 38. num. 49. Boët. decisione 199. ex num. 1. Thesaur. dict. decis. 3. num. 4. Carpzov. parte 3. quest. 114. num. 35. sed ad rem mirabiliter Scaccia, de re judicata, Gloss. 14. g. 2. ex num. 18. & Rota apud Farin. post. tom. 1. concil. crimin. decisione 69. per tot. Licet enim stuprum ut ceteræ copulæ difficilis probationis sit, ut alibi dixi, & in hoc casu puella in domo rei habitaret, atque diceret se ab illo cognitam fuisse: ex eo concepsisse, non esse credendam docuit Baldus, in l. filium, §. ff. de his qui sunt sui vel al. jur. num. 17. latè Nicol. Boët. decis. 199. n. 2. & pluribus Berlich. dict. conclus. 38. numer. 50. & ratio est, quia istæ puellæ quæ serviendò visitant, alimenta sibi, & infantulis absque onere serviendò quaerunt, culpam in dominis retorquendo, quod facilè concedendum non est, ut Boëtius ibidem notat. Si enim cohabitatio cum solis dominis, iudicium faceret plures convicti absque culpa remanerent: Quibus addebatur exclusio resultans ex relationibus peritorum, per quas constabat penem radicibus amputatam fuisse, ita ut impossibile stuprum esset, & perdifficilis generatio; quibus in his credendum est, ex traditis per Farinac. in repertor in d. quest. 93. per tot. cum aliis à me collectis, 2. tom. de Reg. Val. cap. 8. §. 5. ex num. 21. Et cum hæc probatio favorabilior reo sit, ei standum esse omnes concludunt, quorum plures adducunt Guazzin. defens. 29. c. 3. ex n. 1. & Carpz. d. q. 114. num. 56.

Quibus ad stipulabatur, quod ex testibus deponentibus se amputasse penem reo, per decennium antecedens, & ex relationibus peritorum per rei evidentiam constabat de negativa coarctata (licet per modum durissimum probandi) cui credendum est magis quam testibus sive præsumptionibus, affirmativam adjuvantibus, ut docuit Baldus, in cap. cum in tua, num. 1. vers. item numerus, de testib. Immola, Arctinus, Abbas, Ananias, Fe-

linus, Cortus, Pacianus, & alii plures adducti per Farin. quest. 65. num. 222. cum sequentibus. Guazzin. defens. 28. c. 1. num. 13.

Neque his obstant exempla fœminarum, quæ gravidæ effectæ fuerunt absque virili congressu. Nam ferè omnes Doctores allegati, supra num. 2. ridiculum reputant simile assertum, nisi in casu dæmonis incubi, quod adhuc impossibile reputant Torreblanca, & Zacchia. Et ea quæ de viris abscessa pene generantibus dicta sunt, num. 3. procedunt, quando non omnimodè abscessa fuit; in quibus terminis Zacchias, & ceteri loquuntur, & non est mirum, quia quælibet pars remanens altera vi erigendi potest extendi, ita ut capax fiat emittendi semen in sinu pudoris, & ab eo in uterum attrahi; sed in nostra specie penis abscessa radicibus fuerat, neque vi erectionis aliquid à corpore extendi poterat, quia cicatricis vinculo inguinibus innexo impediatur, ut periti retulerunt: quare difficillimam generationem assererent: quia emissio seminis non poterat dirigi intra pudendum, sed ut plurimum fieri poterat in labris sive nymphis, vel clitoride: & dato quod ab ea parte attraheretur intra uterum inutile remaneret ad generationem, evaporatis spiritibus subtilissimis, quibus constare debet, per quamlibet refrigerationem, ut accidit in his qui latiori pene sunt præditi, ut cum Aristotele, Mercuriali, Laurentio, Maiolo Delrio, Montaña Bavecchio Savonarola, Montinello & Henchero probat Zacchias, dict. quest. 8. n. 10. cum segg. & ex nostratibus Torreblanca d. lib. 2. de magia, cap. 30. num. 40. & lib. 5. de jur. spirit. cap. 2. n. 36. cum seq. Et sic reus fuit absolutus, & puella in expensas condemnata, sententiâ dici Septembris anni, ni fallor, 1665.

CONTROVERSIA LIV.

De stupro virginis immaturæ per servum attentato, & de seruo Fisco donato, ea conditione ut ad irremes mitteretur.

SUMMARIUM.

1. Facili species proponitur.

2. Domini

- 2 Domini olim vita necisque potestatem in servos habebant.
- 3 Servum occidere, neque dominus licite potest.
- 4 Servum occidens tenetur pena legis Cornelia.
- 5 Servus vendere, aut emere ad penam nequit nemo.
- 6 Dominus puniebatur lege Cornelia, si servum castrabat.
- 7 Dominus pena ejusdem legis tenebatur: si servum absque iudice ad bestias dabat.
- Domino non licet in servum ultra modum sevirere. *ibid.*
- 8 Missio ad tritremes, pena atrox iudicatur.
- 9 Tritremium pena aequiparatur damnationi in metallum, sed durior est.
- 10 Tritremium pena, servus aequalis, cum datione ad bestias.
- 11 Iudex absque legitima causa non potest servum mittere ad tritremes.
- Neque admittit donationem ad favorem fisci, sub tali conditione. *ibid.*
- 12 Magistratibus licitum erat servos emere, ut cum bestiis pugnarent.
- 13 Magistratibus qui de his curant licitum est servos emere ad instruendas tritremes, remigibus.
- 14 Hac facultas non extenditur ad personas privatas.
- 15 Consuetudines illicita nullius momenti sunt.
- 16 Stuprum virginis immatura, de jure civili pena extraordinaria coercetur.
- 17 Pena scilicet metalli, vel relegationis, aut exilii.
- 18 Pena mortis puniendos stupratores similium virginum plures tenebant.
- 19 Doctores Hispani duriores sententiam sequuntur.
- 20 Servi acrius puniendi sunt quam liberi, ex quocumque crimine.
- 21 Quod jure Hispano quoque cautum reperitur.
- 22 Pena mortis pro stupro immatura, solum procedit quando intervenit raptus, violentia, vel atrox effractio pudendorum.
- 23 Raptus committitur per violentam translationem puella de loco ad locum.
- 24 Vis non infertur volenti.
- 25 Stuprum in puella incapace doli, censetur violentum, secus in doli capace.

- 26 Voluntas colligitur in ea, qui alium querit.
- 27 Colloquia continuata voluntatem demonstrant.
- Dona reciproca idem ostendant, interdantes, & recipientes *ibid.*
- 28 Effractio pudendorum puella debet esse ejus qualitatis, ut inutilis remaneat ad concipiendum.
- 29 Vociferatio puella indicium est, sed elidibile.
- 30 Servi acerbius quam liberi puniuntur, sed non ad mortem damnantur, nisi in atrocioribus.
- 31 Puella virgo esse potest, & vitam inhoneſtam, sive meretriciam ducere.
- 32 Decisio Aule in utraque specie, & numero 17.

V C A S de Barrameda, 1
Æthiops servus, causam suspicandi dederat uni ex Relatoribus Pincianæ Cancellariæ, quod ipsum occidere procurabat: qui sibi consulens, Lucam emittit, & fisco donavit, sub ea conditione ut ad tritremes mitteretur: ad quod obtinendum supplicem libellum in Aula obtulit. Postquam enim dubium hoc decisum fuit, idem Lucas puellam immaturam decennium attingentem callidè seduxit, & in abdite pate carceris stuprare tentavit. Sed acclamante puella, deprehensus fuit in ipsa turpitudine antequam flagitium perficeret: Dubitatum prius fuerat an donatio sub ea conditione admittenda esset; ac demum qua pena teneretur.

Quoad primum videbatur dicendum quod nequaquam similis donatio poterat admitti. Nam licet antiquitus domini in servos potestatem vitæ, necisque habuissent, ut probat Gaius, in l. i. ff. de his qui sunt sui, vel alien. jur. latè Donell. lib. 2. comm. cap. 9. ubi Illiger. l. i. R. Sed postea hac potestate temperata, dominis prohibitum fuit, servos occidere, aut de eis supplicium sumere, Text. in d. l. 1. & in lege 4. servi, ff. de stat. homin. l. pupillus 239. §. servorum, ff. de verbor. sign. Quare lege Cornelia tenetur, quicumque servum occiderit, etiam proprium, ut probat Text. in l. 1. §. & qui hominem, ff. ad leg. Cornel. de Sicar. cum aliis plurimis adductis per Farin. q. 119. n. 20. Neque illum comparare ad penam, vel vendere. Text. expressus, in l. circumcidere 11. §. 1. ff. eod. tit. ubi: *serva sine*

sine iudice ad bestias dato; non solum qui vendidit, verum & qui comparavit tenebitur. Quæ de jure nostro Hispano procedunt, ut probat Text. in l. 6. tit. 21. part. 4. ubi: *Non lo deve matar, nin lastimar, maguer le ficiesse porque, a menos de mandamiento de Fuez.* ubi Montal. & Grego. Lopez Gloss. 3. quod iudicis mandatum cognitionem causæ supponit, ut expressè habetur, in d. l. 1. ubi: *& sine causa legibus cognita.* Imò neque servum proprium castrare, l. 1. is qui servum 6. ff. ad leg. Cornel. de Sicar. Penam itaque dicitur legis Corneliæ tenebatur, qui servum sine iudice, vel causa legibus cognita, ad bestias daret; vendiderit, emerit, aut donaverit ad hunc finem, explicant ad rem Petr. Gregor. lib. 36. syntagmat. cap. 17. num. 1. Amaia, in lege unic. C. de excusat. muer. lib. 10. num. 8. & Jacob. Gotofred. in Comment. ad l. 1. & Cod. Theodof. de emendat. servor. Et ratio est quia domino non licet in servos ultra modum sevirere: Text. in d. l. 1. & l. 2. ff. de his qui sunt sui, vel al. jur. l. unic. C. de emend. servor. l. 1. Cod. Theodof. eodem tit. Docent præter ordinarios Dionys. Gotofred. in dict. leg. pupillus, §. servorum, & Jacob. ejus fil. d. l. 1. & 2. Cod. Theod. cum autem missio ad tritremes sit pena atrox, nam in durissimam servitutem mittuntur, quæ aequiparari solet damnationi in metallum, ut pluribus probat Farinac. quæst. 19. num. 14. imò inter nos major censetur: cum his quos ad tritremes, mittere causa non patitur, mittamus ad Almada quo fodina Mercurii laborantur; quod deprehenditur ex eo quod licet tam in opera metalli, quam in tritremibus catenis alligati durissimis laboribus applicentur, tamen in tritremibus periculis, & incommodis perpetua navigationis exponuntur. Quare non abs re erit dicere, quod pena tritremium equalis est penæ damnationis ad bestias, ut colligi potest, ex his quæ tradit Caballus cas. 104. num. 15. cum seqq. imò de jure damnatio in metallum, & ad bestias aequiparabantur, §. pena servor. iust. quib. mod. jus patr. potest. sol. 1. aut. damnus 8. §. 4. junct. l. qui ultimo 29. ff. de pen. Donel. d. lib. 2. cap. 9. & ibi Illiger l. i. o.

10 Anton. Faber, in jurispr. tit. 12. prin. 5. Cum enim sine iudice ad bestias servus dari non poterat, sic similiter ad tritremes mitti non valet; & sicut sine causa legibus cognita, ultra modum dominus sevirere non potest, sic sine justa causa le-

gibus cognita, non potest ad tritremes adjici, quia hujusmodi seviria excedit modum permissum corrigendi servos, iuxta dict. leg. unic. Cod. de emend. servor. & l. 1. Cod. Theodof. eodem tit. de quo plura apud Illiger. dict. cap. 9. & Jacob. Gotofredum, dict. leg. 1. & 2. Et sic Judices Aulæ non poterant admittere donationem sub ea conditione factam, quia justa causa non probabatur, & licet tamquam suprema criminum Aulæ iudices arbitrium extendi penas obtineant, ut notavi, controvers. prim. hoc arbitrium regulandum est per juris dispositiones, ut latè dixi, controver. 24. numero 8. cum sequentibus quibus addendus Carpov. in pract. crim. part. 3. quæst. 233. num. 4.

Neque his obſtare poterat consuetudo notoria, diuque tolerata, emendi servos nomine Principis ad instruendas tritremes remigibus. Quia Text. in dict. leg. circumcidere, §. 1. loquitur de privatis, quibus interdicebatur servos ad bestias dare: non autem de Magistratibus, quibus cura spectaculorum mandata erat: nam hi poterant servos emere ad hunc effectum, ut notat Dionys. Gotofredus *ibid.* Et sic majori cum ratione Magistratus quibus Rex commissam habet curam instruendarum tritremium, possunt emere servos, ut remigibus abundent, in quo utilitas publica reperitur, ut colligitur ex leg. 8. tit. 11. leg. 4. & 6. tit. 24. lib. 8. recopil. Nam tritremibus oræ maritimæ custodiuntur, Piratæ, & Sarraceni arcentur, & classes ad operationes bellicas instruuntur; quæ ratio non militabat in ludis bestiarum, qui solum oblectationem Populi respiciebant. Sed non ex eo similis facultas, ad privatas personas extendenda est, ne pro libidine servos durissimæ penæ exponant sine causa. Simili modo contemnenda erat consuetudo, seu potius corruptela, quam usu receptam esse dicebat donator, in oris maritimis Provincie Beticæ permittendi servos, cum aliquibus ex illis qui in tritremibus deserviant. Nam hic usus non probabatur legitime, & si probaretur, attendendus non erat tamquam iniustus, iuxta Textum, in leg. quod verò 14. leg. quod non ratione 39. ff. de legib. cap. 1. cap. ex parte, de consuetud. pluribus August. Barbof. in collect. ad hos Text. pluribus etiam Dominus Valencuela, consil. 34. numero 160. cum sequentibus. Imò si aliquando factum fuisset absque iudicis

judicis auctoritate, punibile erat, ut ex dictis patet. Ex quibus Aula decrevit donationem servi admittendam non esse ut ad tres miteretur, sed ut intra carcerem perpetuo serviret; qua qualitate, suspicio donantis exclusa manebat.

- 16 Ad secundum dubium deveniendo si juris civilis decisionem contemplamur, pœna arbitraria est, juxta responsum Pauli, in leg. si quis aliud 38. §. qui nondum ff. de pœn. Verba Consulti sunt hæc: *Quinondum viri potentes virgines corrumpunt, humiliores in metallum damnantur, honestiores in insulam relegantur.* Et quamvis adeo sint clara, ut interprete non egeant, probant hanc conclusionem Guido Pap. decis. 555. num. 2. Paulus Grillan. de pœn. omnifar. coit. quæst. 7. numero 2. Thomas Grammat. decis. 22. n. 2. Jul. Clar. in §. stuprum, n. 9. & ibidem Baiard. n. 45. Menoch. de arbitr. cas. 294. num. 3. Petr. Gregor. lib. 36. Syntagmat. cap. 9. num. 9. Peguer. decis. 42. n. 17. per tot. Farinac. quæst. 147. numer. 38. & 43. Thefaur. decis. 148. per tot. Caball. cas. 20. n. 1. 4. & seqq. Vincent. de Franq. decis. 534. n. 2. & ibi Navarr. in addit. Joan. Bapt. de Thoro, in Comp. decis. parte 1. verb. stuprans virginem immaturam, Ant. Marthaus, de crimin. lib. 48. ff. tit. 3. cap. 5. num. 8. & Carpozov. in pract. p. 2. q. 69. num. 38.

- 18 Sed arguebatur ex doctrina Baldi, in l. si quis non dicatur rapere, num. 11. Cod. de Episcop. & Cleric. quod aperte docet, quod stuprans virginem immaturam pœna mortis tenetur: cui sententiæ adhærent Joan. Faber in §. item lex Julia, de adulteriis, insit. de pub. jud. Curtius Junior, in l. transigere n. 40. C. de transact. Regid. Bossius, in tract. crim. tit. de coit. damnat. num. 67. Anton Faber in C. lib. 9. tit. 7. diffin. 5. Fontanella, de pact. nuptial. tom. 2. claus. 5. Gloss. 5. part. 2. numer. 13. cum sequentibus; quos secuti fuerunt nostri Doctores Hispani: sic Anton. Gomez, in l. 80. Laur. num. 42. Dominus Gregor. Lopez, in l. 3. tit. 31. part. 7. Gloss. 5. & Didacus Perez, in Rubric. tit. 15. lib. 8. Ordin. colum. penult. ad fin. vers. verum autem desforans: quorum auctoritas magna est, tanquam expertorum opinionum in praxi receptarum. Et hæc potissimum in nostra specie admittenda videbantur; quia Æthiops, servus, & pœnæ addictus corrumpere tentaverat puellam immaturam, quæ licet humili pro-

genie nata, tamen libera erat. Servi namque in quocumque crimine acrius puniendi sunt, Text. in l. aut facta 16. §. persona, ff. de pœn. l. quicumque 8. ff. ad leg. Cornel. de fal. cum simili de jure nostro Hispano Text. in l. 8. tit. 31. part. 7. ibi: *ca mas crudamente deven escarmen-tar al servo que al libre, ubi Dominus Gregor. Lopez, gloss. 1.* Cum autem adhuc juxta benigniorem sententiam, libero mortis civilis pœna irroganda esset, qualis censetur pœna damnationis in metallum, ut tenent omnes Doctores adducti supra n. 17. ut servus acrius puniretur, pœna mortis naturalis irroganda videbatur.

His tamen non obstantibus minor sententia admittenda fuit. Nam omnes Doctores tenentes pœnâ mortis naturalis coercendum esse stuprum virginis immaturæ, loquuntur in terminis diversis à nostra specie: scilicet quando coneurit raptus, violentia, consuetudo delinquendi, aut effractura pudendorum puellæ, ita ut inutilis reddatur ad concipiendum. Sic Baldus loquitur, de puella violenter rapta. Joannes Faber, de consuetudinario, Curtius, & Bossius, de rapto, Anton. Faber, in not. num. 9. restringit cum Claro ad casum violenti stupri; in quibus terminis loquitur Fontanella. Ex nostratibus Ant. Gomez, & Didacus Perez de vi illata tractant, & Dominus Gregor. Lopez doctrinam utriusque opinionis proponit. Concurrente aliqua ex his qualitatibus nemini dubium est quod pœna capitis debeat, ut ferè omnes pro contraria allegati tradunt; signanter Clarus, Farin. Cabal. & Franq. In nostra specie nulla ex his qualitatibus apparebat. Non raptus, quia non interfuit violenta abductio de loco ad locum, quod necessarium est, ut dixi controvers. 49. numero 17. Vis illata non fuit, nam puella doli capax videbatur, ex quo excludatur præsumptio vehementis violentiæ, quæ resultat quando puella infantiam nondum egressa, dicitur doli incapax, & non habere velle, vel nolle, ut docet Farinac. dict. quæstione 147. num. 45. & ex nostratibus Didacus Narbona, in tractat. de astate anno. 7. quæst. 14. ex numero 1. Si enim doli capax jam est, & consensum præstat, ut in nostra specie apparebat, violentia non inferitur. Et præstasse consensum videbatur, quia detentus in carcere non potuit puellam quærere, sed ab illa quæ-

rebaturs

rebaturs, ex quo voluntas quærentis elicitur, argumento Text. in leg. 1. §. cum arietes, ff. si quadrup. pauper. fecit dicat. sic tenuit Farin. dict. quæst. 147. numero 32. Præcesserant colloquia diuturna, & cretæ confabulationes, quod etiam consensus supponit, idem Farinac. quæstione 136. num. 114. Probabantur munuscula, & dona promiscue oblata, quod indicium est voluntatis, Farinac. dict. quæstione 136. numero 125. & cum consensus sit quid latens in animo, signis, indicis, atque conjecturis probati, est comperitum, pluribus Farinacius quæstione 145. numero 145. Neque effractio pudendorum puellæ secuta fuit, quia quando inchoatum fuit veneris opus, puella præ dolore acclamante, effectus evanuit, & reus apprehensus fuit antequam consummasset. Ex quo mitius puniendum esse tenuerunt omnes, præcipue uterque Faber in locis superius citatis. Neque ex vociferatione puellæ indicium in hac specie resultare potuit alicujus violentiæ, ut in aliis, ex Jodoc. Anton. Gomez, & cæteris probat Farin. dict. q. 145. numero 146. & dict. quæst. 147. num. 150. Quia evidenter apparuit non ob aggressum vociferasse, sed ob dolorem: quibus addebatur, quod hoc indicium elidibile est per alia indicia, & præsumptiones; quia nimis fallax est, ut notat Giurb. d. consil. 37. num. 37. Et licet dubitari non possit, quod servus gravius puniendus venit, quam liber; non aggravatio pœnæ extendenda est usque ad mortem, concurrentibus varietate opinionum cum capienda esset favorabilior reo; criminis attentati evidentia, ob quod non erat puniendus eodem modo, ac si consummasset; ac tandem quod puella honesta dici non poterat, quia carcerem frequentabat, & in assidua conversatione reorum versabatur. In stupris enim harum puellarum mitius agendum esse probat Text. in leg. si uxor. 13. §. sed in eo, ff. ad leg. Juliam, de adulter. leg. que adulterium 29. Cod. eodem, sicque plures Doctores tenent, quia sæpe puellæ, licet virgines sint, vitam inhonestam, & meretriciam ducunt; ut probant Fontanel. dict. Gloss. 5. parte 1. numero 49. & 50. Berlich. conclusio. practica. parte 5. conclus. 38. numero 7. & Carpozov. dict. quæstione 68. numero 55. cum sequentibus. Qui accuratè notant, quod stuprum puellæ, vilis conditionis, vix punibile est, si vitæ respiciat mores, non obscuritatem D. D. Laur. Matthau, de Re Crim. Pars I.

natalium. Ex quibus Lucas sæpe dictus, 32 condemnatus fuit ad flagellandum, & serviendum in regis t'remibus sententiâ diei 5. Junii anno 1666. Actuante Hieronymo de Herrera, Scribâ Camerali Aula.



CONTROVERSIA LV.

De Auriga violentiam inferente mulieri honestæ, quam jubente domino, debebat in carruca.

SUMMARIUM.

- 1 Facti species enarratur.
- 2 Mulierem per vim cognoscens tenetur pœna legis Juliae, de vi publica.
- 3 Sive cum armis, sive absque armis inferatur vis.
- 4 De jure Hispano similem violentiam inferentes, pœna mortis plectuntur.
- 5 Raptus distinguitur specie, ab stupro violento.
- 6 Raptus fieri non potest, absque translatione femine de loco ad locum.
- 7 Violentia necessaria ad raptum adeß, si probeur abductio malis artibus executâ.
- 8 Raptus perficitur, etiamsi coitus non sequatur.
- 9 Adulterium committit raptor nuptiarum.
- 10 Adulterium pœna capitali plectitur, maxime si per raptum committatur.
- 11 Familiarem Dominorum corrumpens, acerbius punitur.
- 12 Aurigarum perfidia in feminis vehementis commissâ, acerbius coerceri debet.
- 13 Crimina regulariter levius puniuntur, effectu non sequuto.
- 14 Raptus, & vis illata femina honestæ, non sequuto effectu, eadem pœna puniri, si ad actum proximum perveniatur.
- 15 Verum hoc de jure communi, solum procedit in raptu Monialis.
- 16 Secus in raptu alterius femine, quia desideratur legitima probatio quæ

Na inclu